

» fuit, sacrilega et abhorrenda extitit: et ut ad tribunal omnipo-
» tentis Dei interposita per eos sustineri non potest, nisi alterum
» de duobus affirmant, videlicet, vel Omnipotentem ipsum Petro
» apostolorum principi, et per eum successoribus, omnimodam po-
» testatem in terris non tradidisse, et aliquid de ea retinuisse; vel
» quod a vicario ad eum, cujus vices gerit, cujusque unum et idem
» est tribunal, valeat appellari: quorum primum haereticum, aliud
» vero a sacris canonibus alienum esse nemo non ambigit. Et non
» minus considerantes, quod si veneti praefati non appellassent, sed
» concessa gravatis a Romano pontifice via nobis supplicandi aut in
» integram restitutionem a nobis petendi usi fuissent; nihilominus
» ex sex causis in eorum praetensa appellatione praedicta dedu-
» ctis, quae si recte procederetur, ad unam reducuntur, videlicet
» quod ob pacta eis non servata a duce Ferrariensi nobis con-
» sentientibus bellum ei indixerunt, et quaesita in eo bello ut pote
» licite ad eos pertinent, exaudiri nullatenus deberent, cum causae
» ipsae a facti veritate et juris dispositione sint penitus alienae.
» Nam ut ex nostrarum litterarum, per quas moniti fuere, lectura
» evidenter apparet, dux ipse Ferrariensis pacta servare et nostrae
» ordinationi desuper parere saepius obtulit, et ad bellum ipsum
» penitus nobis insciis deventum extitit. Ac volentes eorundem
» venetorum, ne eorum assertione et invalidae appellationis prae-
» dictae vana spe decipiantur, subditorum, fautorum ac adhaeren-
» tium eorundem animarum saluti, quae omni rebus est prae-
» ferenda, quantum nobis possibile est paterna charitate consulere,
» ne alias vel eos, filios odisse si virgae parcamus, vel ipsi aegris
» si mederi deseramus, causam interitus praestitisse videamur, fir-
» miter credentes, quod veneti praefati quantumcumque ex his
» forsitan, injuste tamen, movebuntur, ad mentem tamen reversi
» cum remedium senserint medicinae, nobis et apostolicae sedi
» tanto devotiores erunt, quanto majorem in nobis fuerint ex pa-
» terna charitate severitatem experti: habita super his cum vene-
» rabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione